

fecto non nos tantum, sed omnes recte sentientes in summam admirationem debent inducere: et pro quibus nos in Sanctitatem Vestram iustiores querelas possumus retorquere. Alterum quod Vestra Sanctitas sciens Don Hugonem præsto uenturum, et iamdiu ad iter accinctum cum amplo mandato, et grata resolutione, noluerit per aliquot dierum spacium nostris id summe flagitantibus, ac cum omni instantia requirentibus, illius aduentum præstolari: sed solum illius tarditatem incusando, non habito respectu, quod is etiam cursoris more, per equos ad id dispositos (quantum illius ætas ac personæ qualitas ferre poterat) die, noctuque iter suum festinabat, V. S. adeo uoluntarie proruperit in huius damnosi, ac scandalosi fœderis præcipitationem. Alterum uero, quod eodem Don Hugone iam ad V. S. prouento, et (ut V. S. profitetur) optatas eidem conditiones nostro nomine offerente, priusquam aliqua armorum executio tentaretur: eadem S. V. ita reiiciendas censuerit, ut earum accipiendarum occasionem et tempus præterisse assereret: non animaduertens, quam difformiter nobiscum egisset fœdus, quod antea cum nostris oratoribus defensiuum inierat, iam hinc inde publicatum, et per nos ratificatum, ac approbatum respuendo, sineque ulla iusta ratione eius literas ratificatorias nostris reciprocas concedere denegando. Nunc autem e contrario fœdus aliud illi repugnans, sub defensionis nomine penitus offensiuum, sub colore uniuersalis pacis disponendæ, pacem iam ubique contractam dirumpens, atque perturbans: et loco pacis bellum ac arma commouens, adeo inuolabiliter sustinere conatur V. S. ut etiam optatas (ut ait) conditiones, armorum causam submontes recipere recusauerit. Dura quidem hæc difformitas in ipso Pastore et commune Patre, qui omnibus æqualis esse debuisset. Esto enim quod in nobis, nostrisue ministris mora aliqua argui potuisset, prout reuera non poterat, non tamen ipsius moræ purgatio in re tanti momenti erat deneganda: ubi potissime nullum erat ad id tempus præfixum, nec dies qui interpellaret, pro homine, nullaque poena ad id adiecta, quæ moræ excluderet purgationem, nec etiam aderat contrahentium interesse, ubi armorum motibus nondum executis, radix præcidebatur, ubi publica quies facilis parabatur. Hæc enim Pater Beatissime non ad propulsandum (ut ait) Italiæ seruitutis periculum, christianitatisque turbationem: sed potius ad effectus penitus contrarios disposita uidentur: non pro sede Apostolica armis, et exercitu munienda, quæ illis non indiget, ubi nullus adest offensor: sed potius pro ipsius Apostolicæ sedis munitionibus profundendis, ecclesiæque thesauro exhauriendo, et effundendo contra ipsummet Christum, ac christianæ Reipub. detrimentum inuenta sunt, non ad iustitiæ et pacis uiam (ut inquit) inter omnes æquis conditionibus parandam, sed potius ad omnem iustitiam perturbandam, pacemque iam paratam infringendam, ac quasi desperandam: non etiam uidentur hæc consilia, seu gesta, quibus S. V. nec coram Deo, nec coram hominibus rectam iustificationem recipere debeat: sed potius (si fas est dicere), scandalum, ecclesiasticæque status granem turbationem peperisse uidentur. At si hæc omnia S. V. recto intellectus sui oculo, diligentique circumspectione perlustrata fuerit, comperiet profecto nullum esse regem, aut principem nobis recto ordine antefendum: nullum cui Apostolica sedes magis debeat, quemue magis tueri, fouereque deberet: nullum a quo magis filialis obseruantia, ac deuotionis ipsa Apostolica sedes receperit, seu recipere possit: nullum qui magis Romanam ecclesiam, Apostolicamque se-

dem stabilire, conseruare, ac augere cupiat: nullum ex cuius regnis, ac dominiis magis honoris, commodi, ac ac pecuniæ ad Apostolicam sedem, Romanamque curiam affluat. Si enim ad ea recte aduertat Vestra Sanctitas, comperiet quod ex Imperio, regnisque ac dominiis nostris Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Germaniæ, Gallia, Belgicæ, ac superioris Burgundiæ, plusquam ex cæterorum omnium regnis, et dominiis simul iunctis, lucri ac commodi sedi Apostolicæ ac Romanæ curiæ accedit. Non enim patiuntur Reges alii ita passim et laute ecclesiarum spolia, et annatas ex eorum regnis ad Romanam curiam deferri. Qualia autem sint ea lucri, ex centum illis grauaminibus nationis Germanicæ colligi poterit: quibus tamen ex ea deuotione et obseruantia, qua semper Vestra Sanctitati, ac Apostolicæ sedi affecti fuimus, nusquam anres præstare curauimus, nec his animum adicere. Quod si aliqua ratione, uel causa apostolica sedes his lucris careret, non essent clauis aureæ, quæ bellorum arcana pro libito aperire, ac claudere solent: nec Vestra Sanctitas ex regnorum nostrorum pecuniis, atque redditibus exercitum in nos conflaret: nec temporalia arma moueret, quibus potius iustum uideretur, ad nostram defensionem uti. Quod igitur Vestra Sanctitas testatur se nunc etiam eo animo esse, si ad æquitatem et humanitatem nos referre uoluerimus, illius tamen ex ea deuotione non aduersa, uerum etiam ad res uere gloriosas propitia futura. Sin autem in occupanda quotidie magis Italia, et aliis partibus christianitatis perturbandis, non nos tam naturæ nostræ, quam cupiditatis et consilia nostrorum obsequi perseuerauerimus, Vestram Sanctitatem, neque iustitiæ, neque libertati Italiæ (qua illius sedis tutela continetur) defuturam: sed iusta et sancta arma moturam, non tam ad offensionem quam ad defensionem. Sancta quippe est hæc protestatio, si uerbis facta respondeant. Habet enim V. Sanctitas ex illis iustificationibus, quas superius aduersus ea, quæ nobis obiecta fuerant, retulimus, nostram et æquitatem et humanitatem, simulque admixtam iustitiam, ut si talis eiusdem Sanctitatis sit animus, primam ipsius protestationis partem ad effectum deducere ualeat. Quod si fecerit, et a nobis gratias, et a DEO præmium reportabit. Habet etiam ex eisdem iustificationibus late ostensum, nos ab occupatione Italiæ, ac christianitatis turbatione, omnique cupiditate alienos esse, nilque unquam iniustum; nil Italiæ libertati contrarium, nil quod Apostolicæ sedis tutelæ non conueniret, per nos tentatum, immo nec cogitatum fuisse: sicque merito cessabit secunda ipsius protestationis pars, ut nec arma in te in nos moueri possint, nec offensione, aut defensione opus esse uideatur. Nos enim, ut omnis a nobis absit suspitio, si V. S. eiusque fœderati pro illorum parte arma deponere consentiant, erimus pariter ad ipsorum armorum depositionem promptissimi. Veram quippe hanc et rectam uiam censentes, ut V. S. in his quæ per uiscera misericordiæ Dei obsecrat, et per spem, quam de nobis (ut inquit) concepit, obuiam eat immoderatis cupiditatibus, et magis publico christianitatis bono condonet, quam ut nos ad id attrahendos putet. Hæc enim ipsius christianitatis incommoda, et pericula, sic non nostra moderatione, sed rectis V. S. clauibus oleo charitatis delimitis sedabuntur, et ea cura, quam V. S. nobis dicit esse communem, cum ambo a Deo (ut rectè inquit) in hanc sollicitudinem pro commissis nobis honoribus simus uocati, sic agendo, facillime poterit expediri. Quo pariter officio et debito nostro, non minus quam V. S. nos etiam neque defuimus, neque defuturi sumus, quinimmo totis uiribus, atque conatibus anhe-

lamus: ut hæc duo magna luminaria a DEO instituta, ita sibi ad inuicem debito ordine respondeant, et subministrent: ut inde orbis uniuersus rectam illustrationem recipiat, nec per ipsorum luminarium obiectionem, eclipsis in Christiana religione et doctrina causari, et generari, seu diutius sustineri ualeat, in maximum christianæ Reipub. detrimentum. At quod V. S. in suarum literarum calce subiungit, sub conditione tamen, quasi rem dubiam, seu incertam proponens, dum inquit: Quod si quæ de nostra in pacem generalem uoluntate passim ferebantur, ueras prudentiæ et pietatis radices habebant: habemus occasionem declarandi, quæ sentiebamus: omnia uere nos et ex animo sensisse, atque operibus uerba comprobando, singularem optimi principis laudem nobis acquirendi: qui si tam S. V. amorem nostrum cupienti in liberanda Italia, quam suis fœderatis in eorum iustis petitionibus satisfacere instituerimus, erit id nostræ famæ et sapientiæ melius multo accommodatum: et paci uniuersali, securitati que tam rerum nostrarum, quam totius christianitatis magis consentaneum. Putauimus Pater Beatissime, satis dilucide, et aperte ostensum esse, qualis fuerit nostra in pacem generalem uoluntas: ut nec ulla in conditione ponenda, nec de ea dubitandum uideretur: qui nullo unquam figmento, nulla simulatione usi sumus: nil unquam in ore habuimus, quod in mente ac uoluntate non sederet: omnia uere ex animo sentientes, quod loquebamur, operibus uerba comprobando, si hi quos res tangebat, et sine quibus pax generalis obtineri non poterat, iustæ nostræ inclinationi (ut decebat) correspondissent. Sed cum ea sit uniuersalis pacis natura, atque substantia, ut in ea omnium consensus uniuersaliter exigatur: omniumque uoluntas necessario debeat concurrere, et e conuerso ab uno solo ex contententibus, quicumque fuerit, dependeat, et in solius potestate ac uoluntate consistat, ipsam uniuersalem pacem impedire, et etiam si facta foret, turbare, bellumque mouere, et partem alteram etiam inuitam ad ipsum bellum trahere: non potuit ob id, aliis renitentibus, nostra optima uoluntas operibus comprobari. Qui propterea (tanquam omni culpa carentes) non putamus illam optimi principis laudem a nobis auferendam, seu cuiuspiam maledictia subtrahendam. Si igitur V. S. prout flagitare uidetur, consulere intendat publicæ quieti, iustæque Italiæ libertati, deponat arma, reponatque gladium PETRI in uaginam: idque efficiat, ut etiam sui fœderati arma deponant. Quod et nos (ut prædiximus) eodem contextu facturi sumus: ut sic iuxta canticum Zachariæ: Sine timore ab inimicis nostris liberati seruiamus illi. Hoc enim iacto fundamento, poterit facillius S. V. eam superficiem pacis uniuersalis ædificare, et laborare, ut inquit Psalmista: In conueniendi populos in unum, et reges ut seruiant domino. Et cum ea quæ DEI sunt, cunctis rebus sint anteposenda, et inde publica priuatis iusta ratione præferantur: ne priuatorum passio perturbet ea, quæ Dei sunt, et quæ ad pub. salutem pertinent, consentaneum uidetur, ut prius de hostibus fidei a christianorum ceruicibus propulsandis, et si fas sit ad ouile Christi adducendis, deque Lutherianorum, aliorumque hæreticorum sectis, et erroribus comprimendis, corrigendis, atque sedandis: et si licuerit, ad gremium ecclesiæ reducendis: de illis quoque omnibus, quæ Romanæ ecclesiæ, totiusque Christianæ Reip. statum, salutem, conseruationem, et incrementum concernere possunt, tractetur, et conueniatur. Deum de iustis (ut ait S. V.) ac a ratione et æquitate non alienis priuatorum, seu fœderatorum querelis, et petitionibus merito transigi. aut conueniri poterit. In

quibus tam publicis quam priuatis, si V. S. recto ordine intendere, ac ad ea animum adicere uelit, ueri Patris, ac PASTORIS officium assumendo, comperiet nos uelut deuotissimum, ac obseruantissimum filium illi obtemperantem et obsequentem, ita in omnibus iurisdictioni, ac æquitati subnixum, ut nil iniustum, indebitumue petitori simus: quin potius iustis aliorum petitionibus satisfacturi, ac si expedierit, de proprio daturi, et dimissuri pro ipsius christianæ Reip. commodo, proque christianæ religionis augmento: pro quo etiam Imperium, regna, dominia, et quicquid nobis DEVS et natura concessit: ac denique uitam ipsam exposituri sumus. Bursus pollicentes, nos hæc uerba nostra (si V. S. rem paterno amore complectatur) factis et operibus comprobaturus, nilque omnino pro parte nostra omisso, quod ad rem ipsam recte disponendam, ac peragendam facere uideatur. Quod si secui quam putamus, euenierit, Vestraque Sanctitas iustas nostras rationes et requisitiones obaudiat, protestamur coram DEO, et hominibus, quod si quid inde sinistra Christianæ religioni euenierit, id nequaquam nostræ culpe ascribi possit: a quo omnino nos immunes seruari curabimus: nil tamen prætermitturi de his, quæ ad nostram necessariam defensionem uidebuntur pertinere: quam totis uiribus, atque conatibus prosequi cogemur: omnibus illis uis ac mediis, quibus et diuino et humano iure nos, et nostra tueri licet: et quibus honor, status, et dignitas nobis salui, ac illasi permanent, et integre conseruentur. Obsecramus igitur V. S. ea reciproca obsecratione, qua erga nos utitur: per uiscera uidelicet misericordiæ DEI nostri, et per eam spem, quam de V. S. ad christiani nominis salutem conceperamus. Obsecramus etiam per clauis illas, quas dominus noster IESVS ad parandam christicoelis uiam in regnum cælorum Petro commisit: quarum etiam administrationem V. S. ut eiusdem beati Petri successor assumpsit, illis (ut decet) utendo: dignetur hæc christianitatis incommoda, et pericula sua moderatione sedare: ipsamque uniuersalem pacem dirigere, disponere, ac perpetuo fundamento stabilire. Habet nunc V. S. ueram et apertam actorum et consiliorum nostrorum rationem: habet legitimas excusationes nostras aduersus crimina et opprobria, quæ nobis (iniuste quidem) obiciebantur: habet nostram sanam, rectamque intentionem, ac uoluntatem ad bonum publicum, ad pacem generalem, quietemque uniuersalem. Habet filialem nostram deuotionem, et obseruantiam: si Vestra Sanctitas paterno amore nos, ut filium complectendum censerit: si ipsas excusationes, ac iustificationes nostras tanquam ueras et legitimas, ratasque et gratas habeat: hisque se contentam reddat: ac sibi de culpis nobis obiectis satisfactum putet: nosque his culpis carere profiteatur, et sua pronuntiatione declaret. Id demum supplicantes, ut Vestra Sanctitas non putet, cogitet, seu recordetur iniuriam, seu offensam nobis fuisse illatam: nec arbitretur nos præteritorum memoriam habiturum: sed Vestra Sanctitas eorum omnium obliuiscatur, ut sic recedant uetera, nouaque sint omnia, cum et nos idem facturi simus, si Vestra Sanctitas id, prout supplicauimus, admitterit. Verum si Vestra Sanctitas nos ab his culpis et obiectis immunes non censerit, nostrasque excusationes et iustificationes pro ueris et legitimis non habuerit: si arma contra nos continuauerit, et illorum depositioni non consenserit: si uniuersalem pacem amplecti nolit, cum tunc non Patris, sed partis: non Pastoris, sed inuasoris officium assumeret: sicque rectus eorum iudex non censeretur, nullo alio tunc superstite, cui nos et nostra subiicere deberemus,

Ea omnia, quæ nobis obiciuntur, aut in posterum obici possent, uel tentari: siue personam siue Imperium, regnaque et dominia concernant: simul et ea omnia, quæ nos ex aduerso, pro nostra iustificatione et innocentia, ad christianæ reipublicæ quietem præstendimus, et præstendere possumus: ad sacri generalis concilii totius christianitatis cognitionem et iudicium remittenda censemus: illique nos, et omnia, quæ cum Sanctitate Vestra habere possumus, aut deinceps habituri sumus, omnino subiicimus: supplicantes propterea eidem Vestræ Sanctitati, illamque in domino hortantes: quatenus pro suo Pastoralis officio, proque cura et sollicitudine gregis sibi commissi, dignetur ipsum sacrum generale concilium indicere, et conuocare in loco tuto, et congruo, cum debita termini præfixione. Nos enim cum ex his, et aliis satis notoriis causis turbari uideremus uniuersum ecclesiæ et Christianæ religionis statum: ut nobis, ac ipsius Reipub. salutem consulatur: pro his omnibus ad ipsum sacrum uniuersale concilium per præsentem recurrimus, ac a futuris quibuscunque grauaminibus, eorumque comminationibus

prouocamus, appellamus, et supplicamus, a V. S. ad dictum sacrum concilium, cuius etiam officium per uiam querelæ, his de causis implorandum censemus: petentes cum ea qua decet instantia apostolos et literas dimissorias, semel, bis, ter, et pluries nobis concedi: et de harum præsentatione testimoniales literas fieri, ac expediri in ea, qua decet forma quibus suis loco et tempore uti ualeamus. Et cum ad hæc solenniter per agenda, eiusdem S. V. præsentiam nunc habere nequeamus: ut inde futuris forsitan grauaminibus occurramus: has nostras eius nuncio Apostolico penes nos agenti, et legationis munere nomine V. Sanct. fungenti, per actum publicum coram notario et testibus exhibendas, intimandasque censuimus. Dat. in Ciuitate nostra Granatæ, die xvii. mensis Septembris. Anno M.D.XXVI. Regnorum nostrorum Romani VIII. Aliorum uero omnium undecimo.

Carolus diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Rex. Germ. Hispaniarum, &c.

EPISTOLA AD SENATUM, SIVE COLLEGIUM CARDINALIUM:

IN QUA PETITUR: UT NEGANTE, SEU DIFFERENTE PONTIFICE GENERALIS CONCILII INDICATIONEM, IPSI INDICANT.

Carolus, diuina fauente clementia, etc. Reverendissimis in Christo patribus dominis. N. S. Rom. Ecclesie Cardinalibus, amicis nostris charissimis salutem cum incremento omnis boni.

Reuerendissimi in Christo Patres, amici charissimi: tanto profecto animi dolore mens nostra discruciat, dum ea quæ Romanum Pontificem suæ Pontificiæ dignitatis oblitum, non contra nos tantum (id enim æquiori animo pateremur) uerum in maximum christiani nominis dedecus, contraque totius reipubl. (quam induxeramus) pacem et tranquillitatem moliri audimus: ut tametsi animo certe perturbato, moderatis tamen uerbis, mentem nostram uobis aperire, actionum nostrarum (quanta pro rei magnitudine licebit breuitate) rationem reddere, et a reuerendissimis paternitatibus uestris nostro, ac totius Christi populi nomine auxilium implorare cogamur. Cum enim in ipso Imperii nostri initio a Deo Opt. Max. in tanti principatus culmine constitutos arbitraremur, non ut Imperii limites cum Christiani sanguinis iactura extendere, propagareue studeremus, sed quo Imperialis dignitas auctoritate et potentia decorata, et observaretur a multis, et comtemneretur a paucis, indeque christiana resp. bellorum iniuriis in extremum fere discrimen adducta, sempiterna tandem Cæsareæ dignitatis beneficio pace frueretur. Hoc itaque animo relicta Hispania, ad Germaniam uenimus: ortas ibidem seditiones inter quosdam principes diuino fauore sedamus, nihilque omittimus, quod (iudicio nostro) ab optimo Cæsare sperari poterat. Verum dum nos christianam tranquillitatem stabilire curamus, ecce Gallorum rex, quem uti patrem colebamus, nostræ dignitati subinuidens, in statum ac hono-

rem nostrum nihil non moliri conatur, nosque tandem ad arma prouocat inuitos. Fatetur hoc summus Pontifex Leo, fatetur Serenissimus Angliæ rex, quos pro pace a Gallo obtinenda sæpius sollicitari fecimus, quique suis uiribus iustæ nostræ causæ adesse non negarunt. Fatetur et hoc diuina iustitia, quæ ita nobis adfuit, ut post tot partas uictorias, omni humano tandem auxilio destituti uictis hostibus, eorumque rege capto, uictores euaserimus. Hinc data opportunitate, qua nostro de reip. bene merendi studio satisfacere liceret, ab ipsis hostibus uictis pacem primi flagitamus, tantumque petimus, ut quæ a prædecessorum nostrorum manibus eriperant, et contra ius, fasque occupabant, nobis restituerentur. Aequissima postulata nostra impetramus, pacem inimus, fœdus percutimus, et nihil in eo cautum uolumus, nisi quæ ad Dei gloriam communem reip. pacem, christianæ religionis decorem, et augmentum, et sanctæ sedis Apostolicæ ueram dignitatem pertinere arbitramur. Percusso fœdere, Gallorum regem captiuum nostrum conuenimus, omnibus beneficiis, omni humanitate atque beneuolentia eius animam pro christiana tranquillitate nobis deuincere curamus, et mutuo data, acceptaque fide, amicitiam firmamus, ac maximo cum honore affectum, in Galliam, datis obsidibus, redire permittimus. Ad Pontificem, cæterosque christianos reges scribimus, ut si christianam reip. pacatam optarent, eorum patentes literas ad nostrum utrumque mitterent: quibus an huiusmodi fœderis beneficio uti uellent, prout conuentum fuerat, declararent. Nondum tamen sempiternam in Christi populo pacem firmasse gloriari ceperamus, cum nouos bellorum tumultus pullulare grauissima animi nostri molestia sentimus. At ubi a Pontifice de nobis (ut aie-

bant) non bene contento id emanare audimus, Don Hugonem de Moncada oratorem nostrum mittimus cum facultate, amplissimisque mandatis, ut omnibus mediis quibus id fieri posset, Pontificem de nobis contentum reddere curaret: ita ut homine audito, nostro animo profecto, nil aliud a nobis optasse suis ipsemet uerbis fateretur. Dumque nil tanto Pastore indignum nobis pollicentes, eius optimum responsum præstolamur, Pontificis nuncius literas Sanctitatis suæ in forma breuis proxime elapsi mensis Iunii, die xxiii. scriptas, uicissima Augusti nobis legendas dedit: quibus perlectis, cum non tantam a summo ecclesiæ Pastore, a communi omnium patre, Christique uicario, sed etiam a reuerendis paternitatibus uestris, sacroque uestro ordine, quibus Apostolorum auctoritas tribuitur, emanatas esse credamus (nec enim rem tanti momenti uobis inconsultis, factam putamus) quo simus animi dolore affecti, uos ipsi iudicate. Quis enim non miraretur, stuperetque, uidens a tanto Pontifice, a tot, tantisque, tanta religione, pietate, atque prudentia præditis Patribus tales literas in Christiani Principis, Romani Cæsaris, atque Apostolicæ sedis protectoris honorem et dignitatem tam inconsulte prodire? in quibus nihil præter bella, seditiones, proditiones, perniciose consilia, temeraria iudicia, impropria, iniuriæ, falsæ criminationes, aliaque huiusmodi tam a Pontificia dignitate aliena tractantur: idque in nos optime de christiana reipublica meritos: et qui nullum unquam nec Cæsarem, nec regem, nec Principem, nec priuatum aliquem fuisse, fatebimur: qui maiori, nec tanta quidem fide, religione, atque obseruantia sanctam sedem Apostolicam ueneratis sit: qui, cæteris posthabitis, maiori studio eius ditionem, et dignitatem tutatus sit. Parmam enim et Placentiam a Romani Imperii fendo disiunctas, sedi Romanæ, nullo iure coacti, possedendas restitimus: importunasque Germaniæ, et uniuersi Romani Imperii preces contra grauamina et oppressiones, quas a sede Romana pati cum in Vuormaciensi conuentu essemus, passim conquerebantur, obturatis auribus pro innata nostra erga Apostolicam sedem obseruantia obaudiuimus. Subortæ sunt ea de causa uariæ rerum difficultates, et incommoda: pullulat indies magis Lutheranorum insania: grauamina ubique diuulgantur: omnes unanimes remedium implorant: petunt fieri generale concilium: in quo et Lutheranæ impietati, et Romanæ curiæ (ut aiunt) oppressionibus uiam iri possit. In ciuitate Spirensi conciliabulum indicunt, ut in seditionibus ortis usque ad generalis concilii decisionem ordo aliquis statureretur. Vidimus Germanorum animos in sedem Ro. grauiter commotos: uerentesque huiusmodi conciliabulum Germaniam a Ro. Pontificis obedientia diuerteret, Spirensis congregationem grauissimis penis prohibemus, eis tamen pollicemur quanto citius fieri posset, generalis concilii indicationem fieri curaturos. De re hac ad Pontificem scribimus, ut Germaniam ab imminente periculo per huiusmodi generalis concilii indicationem liberare dignaretur, instamus. Ipse uero de conciliabuli prohibitionem gratiam habet: generalis tamen concilii petitionem in tempus (ut aiebat) magis conueniens differendam censuit: ita ut pro nostra erga sacrosanctam ipsam sedem obseruantia maluerimus Pontificis affectibus potius quam Germaniæ precibus annere. Nunc uero Sanctitas sua uestro etiam (si id credendum est) accedente consilio, tot crimina in nos iactitat, ac si penitus Romanæ ecclesiæ aduersari hactenus fuisset. Hinc enim de nostro erga publicam pacem animo (nullo profecto recto iudicio) dubitat, nosque a christianæ reip. perturbatione

deterret: quasi uero noster erga rempublicam animus clarior non sit, quam ut cuiuspiam admonitione egeat. Si enim de C. Cæsare indicatum est, quod maluisset non dimicare quam uincere: eoque uictoria adeptus, pacis auctores libenter audierit, cur de nostra uoluntate a communi omnium patre per contrarium discernitur? Ille pacis auctores audiuit, nos uero hostibus uictis pacem primi obtulimus: nec tantum hostem captiuum regiæ dignitati restituisse contenti, Lusitaniam reginam sororem nostram natu maximam, et in successione gradu secundam ipsi matrimonio copulauimus: quod profecto ante uictoriam minime a nobis impetrare potuisset. Quanto igitur nostra C. Cæsaris clementiam excedere deberet, uos ipsi indicate. Ad hæc, etiam Pontifex consilia nostra ad suæ dignitatis, et ecclesiasticæ libertatis oppressionem tendere, uidetur asseruare: cum ea quæ pro Romana sede præstita commemorauimus, adeo omnibus nota sint, ut inde nonnihil Germanorum animos a nobis alienauerimus. Perpendite igitur, Patres reuerendissimi, an in hoc Pontificis beatitudo suis, et Apostolicæ sedis rebus consulat: an sit Pontificiæ dignitatis christianorum principum animos aduersus ecclesiæ protectorem ad arma (ut ipsi aiunt) incitare: ac suis stipendiis tot corporibus, atque animabus æternum exitum parare. Causam audite, ut subditum nostrum magni sceleris accusatum nobis iure præuio punire non liceat, ob idque armis nobiscum certare contendit. Quod tametsi ei ex sententia succederet: quid quæso Christi uicario dignum facturum esset: nisi ut iustitiam, quam promouere tenebatur, impediat: Ecclesiæ thesaurum in alios certe usus conuertendum exhauiat: ac Romanam ecclesiam, et uniuersum populum christianum in extremum discrimen adducat? Hæc ergo atque huiusmodi alia ingenti cordis dolore perturbato animo pensantes, publicam christianam calamitatem nobiscum deplorare cepimus: atque non nostro tantum honori, sed Christi gloriæ, eiusque electi populi salutem consulere ex animo cupientes, ad Pontificis literas rescribimus: iustificationem de his, quæ nobis falso obiciuntur, damus petimusque ut generale concilium indicat, ac talia faciat, quæ ex incluso literarum nostrarum exemplo uobis uidere licebit. Quæ omnia Patres reuerendissimi, uos latere nolimus: ut si ex literis Pontificis, eiusque snasionibus, sinistram aliquam suspicionem animi nostri erga sacrosanctam fedem non bene dispositi conceperitis, iustificationibus nostris, recto iudicio perspectis, pristinum uestrum erga nos animum induatis: ac omnem prorsus iniquam opinionem abiicientes, labanti christianitati subueniatis. Agite igitur, Patres reuerendissimi, et tanti mali causam cognoscite, Ro. Pontificem a tam impio auertite consilio, uestrisque monitis tantum apud eum efficit, ut meminerit se a Deo Opt. Max. non ad perniciem, sed ad salutem sui populi: non ad arma, sed patientiam, et humilitatem in Ro. Pontificatus solio constitutum: recordeturque nos ead. m. ratione in Ro. Principatus apicem euectos: unde peculiari quodam affectu christianæ reip. rebus consulere præ cæteris tenemur, ni a principe nostro Christo degenerare uelimus. Si uero beatitudo Pontificis uotis nostris tam pro nostra iustificatione, quam pro christiana religionis salute, in generalis concilii indicatione, annuere negauerit, tunc iuxta inris ordinem reu. rendiss. potestates V. ac sacrum uestrum collegium hortamur, requirimus, atque monemus: ut quæ de indicatione concilii a Pontifice petimus, eo negante, aut plus æquo differente: uos, debito ordine procedentes, præstare non differatis: protestantes apud omnipotentem Deum, si quid